



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. II. Vtrum Christus fuerit liber ad actus inæqualis perfectionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

ria obligatur. Ratio à priori est, quia specialis honestas & laudabilitas consistit in reverentia exhibenda Intellectui & Voluntati superioris, tanquam regulæ proprii intellectus & voluntatis. hæc autem Reverentia major est, si absit, quam si adsit præceptum, ut per se constat.

311. Obijciunt 5. Christus quæ homo est verus servus Dei: atqui servus à non servo maximè differt per hoc, quod possit à Domino obligari & accipere præceptum ac Mandatum: ergo &c. R. Transmissa pro nunc majore, de qua infra, Nego minorem, & dico, ad rationem servi perfectissimi abunde sufficere, quod superior possit pro libitu & efficaciter seu infallibiliter præordinare servum ad quidvis obtinendum ad beneplacitum suum, & illi etiam possit præscribere media, ad certum finem efficaciter intentum, imò etiam quod possit per suam displicentiam necessitare illius voluntatem. Et hæc sunt præcipua quæ obijciuntur: leviora videri possunt apud alios.

CONTROVERSIA II.

Virum Christus fuerit Liber ad Actus Inæqualis perfectionis.

Certum est, Christum non eliciisse defacto actus, qui fuerint ex omnibus possibilibus optimi in bonitate morali, & honestate desumpta ab objecto & modo tendendi, imò ex communi sententia repugnat actus quod melior esse non possit.

Controversum est, an defacto, quando Christo fuere proposita simul & sufficienter duo objecta diversæ honestatis objectiva & inæqualis, potuerit eligere, potentia saltem physicâ, id quod minus erat laudabile, relicto laudabiliori. Item controvertitur, an Christus potuisset omittere illud, quod cognoverat fore gratius Deo, & à Deo hic & nunc præ alijs consuli, etiamsi illius objectiva bonitas non esset melior bonitate alterius objecti, imò esset minor. Nam, ut alibi diximus, lib. 2. posset Deus objectum in se minus bonum consulere præ majore bono, v. g. statum Sæcularem præ Religioso, Matrimonium præ Virginitate.

Prima sententia negat univèrsim hoc fieri potuisse: admittit ergo in Christo solummodo libertatem & indifferentiam ad actus æqualis perfectionis. Ita videtur sentire Suarez, & fuscè propugnat Mendoza.

Secunda sententia affirmat. Ita communis RR. Tertia adhibet distinctiones. Et quidem Lugo, Pallav. & Esparza fatentur, Christum habuisse necessitatem moralem ad id, quod vidit præplacere Deo, non tamen necessitatem physicam. Arriaga aliter distinguit inter objecta. Aliqua enim sunt, quæ licet sint minus bona, nullâ tamen lege, ne quidem pœnali, prohibentur, alia verò saltem aliquâ lege prohibentur,

v. g. Regulis non obligantibus sub peccato, & c. dunt transgressorem reprehensibilem. Quod priora censet Arriaga, Christum ne quidem moralem habuisse necessitatem ad id quod peccatum est. quoad posteriora vult habuisse physicam necessitatem.

312. DICO, admittendam esse in Christo majorem libertatem, quam præcise ad actus æqualis perfectionis & laudabilitatis. Probat. In Christo est admittenda libertas in genere tantum hoc est, in ordine ad Laudabilitatem & Meritum atqui talis non est mera libertas ad actus æquales, cum necessitate ad tantam perfectionem physicam in genere, vel in specie: ergo &c. Major probatur tum exemplo, tum à contrario. ab exemplo, v. g. nemo laudaret temperantiam illum, qui esset physicè necessitatus ad abstinentiam ad hauritu ampliore quam vnius mensuræ, hoc est, qui physicè non posset bibere plus quam vnius mensuram, si deinde liberè abstineat à vino bibendo vinum B. ejusdem bonitatis, & quæ integræ mensuræ. A contrario probat Conclusionem bene Lugo n. 137. ad rationem vinorij & reprehensionis nullo modo sufficit, committere hoc potius quam illud æqualis malitia, & c. ad alterutrum necessitatus, v. g. ex perpetua conscientia. Si enim illam reprehendas quæ elegerit A. præ B. respondebit; cur me reprehendis propter A. reprehensus eodem modo, si elegerim B?

313. Confirmatur 1. Actus inferens tantumdem mali, seu impediens tantundem boni, quantum boni affert, non est laudabilis. Sed lectio vnius actus æqualis præ alio, cum necessitate eligendi alterutrum, tantundem boni impedit, quantum boni affert, quia impedit alium oppositum æquæ bonum: ergo non est laudabilis.

314. Confirmatur 2. De ratione actus liberiorij est, ut sit victoria libera & actus in contemptu commodi temporalis ob honestatem: & qui repugnat, ut quis sit necessitatus ad alium actus in tali victoria æquales: ergo quicumque actus eliciatur, non erit Meritorium. Major probata est Tract. de Merito. Minor probatur, quia hoc ipso quod uterque certet & vincat affectum ad aliquid temporale, supponitur possibilis affectus electivus boni temporalis: ergo jam supponitur libertas ad actus inæquales: ergo si hæc potestas non adesse, non adest potestas eliciendi actum Meritorium.

315. Obijciunt 1. Si Christus habuisse potentiam physicam eligendi minus perfectum relicto perfectiore, tunc non fuisset intrinsecè reprehensibilis, sicut est intrinsecè impeccabilis: consequens concedere offendit pias aures. ergo &c. Major probatur. Ille enim est intrinsecè reprehensibilis, hoc est, potens committere aliquid reprehensione dignum, qui potest committere imperfectionem moralem: sed hæc potuisset Christus committere: quia imperfectionem moralem, & c. contradiungitur à peccato, & c.

non est, quàm electio objecti minus perfecti propter se, relicto perfectiore. Major probatur ab experientia, quia etiam ille reprehenditur, qui quidem non peccat, tepidè tamen agit, & regulas transgreditur, bona consilia non admittit, præsertim quando ex sua professione vel officio semel assumpto, deberet ad statum perfectiorem tendere, cujusmodi officium gessit Christus, nempe Pastoris, Magistri, Exemplaris, & Capituli.

§. Negando sequelam. Ad probationem, nego univèrsim majorem, juxta acceptionem Imperfectionis moralis quæ ponitur in minore: hoc enim secundum se præcisè non sufficit ad reprehensionem, alioquin omnes qui amplectuntur statum Matrimonij, relicto statu Calibatus, aut qui statum sæcularem relicto statu Religioso, reprehensibiles essent, quod qui assereret, aures plurimum offenderet. Imò Deus ipse tandem reprehensibilis diceretur, quia potest eligere minus Bonum relicto majore Bono. Igitur reprehensibilis debet aliunde, quàm ex electione honestatis objectivæ desumi. Ille ergo est reprehensibilis, qui per aliquam suam operationem exponit se liberè aliquali periculo non consequendi suum ultimum finem: Sic reprehensibilis est, qui advertens se vocari ad Religionem, ob majorem securitatem, spectat ipsius indole & complexionem &c. eligit tamen, quamvis sine peccato, statum sæcularem. Vno verbo, ab usu vel non usu mediæ, ut conducentium ad ultimum finem, simpliciter vel melius possidendum, desumitur reprehensibilitas. Ratio hujus à priori est, quia in tantum est aliquis reprehensione dignus, in quantum aliquid agit præjudicans perfectioni sibi competenti: atqui perfectio uniuscujusque rei consistit in possessione finis sibi proprii, ut docet S. Thomas opusc. 18. de perfectione vite spiritualis c. 1. unde sequitur, hanc reprehensibilitatem non reperiri nisi in puro Viatore, adhuc Beatitudine carente, qui quando voluntariè omittit perfectiora, & omnibus consideratis, securiora Media ad suam Felicitatem consequendam, est reprehensibilis: atqui Christus, antecedenter ad omnia sua opera, jam erat Beatus, & Possessor sui ultimi finis; Ergo etiam si eliciisset actum minus perfectum relicto perfectiore, non propterea fuisset reprehensione dignus, quia officia quæ gessit, omnino Liberè, & sine ulla obligatione gessit. Præterquam, quod etiam si non potuisset elicere actum minus perfectum, spectantem ad officium Magistri, Pastoris &c. potuisset tamen elicere actum minus perfectum in deserto, vel prius, antequam officium aggrediretur.

316. DICES. Si Christus non fuisset reprehensibilis propter electionem minus perfecti, neque etiam fuisset Laudabilis propter electionem magis perfecti; quia Laudabilitas & Reprehensibilitas opponuntur. §. Negando sequelam. Ad probationem dico, Laudabilitatem & Reprehensibilitatem non ita opponi, ut vbiut-

que non reperitur Laudabilitas, ibi reperitur Reprehensibilitas, sed opponuntur tanquam minus & magis latè patens, hoc est, quicunque potest mereri reprehensionem, potest etiam mereri Laudem, sed non econtra. Ratio est, quia potest quis esse laudabilis propter opera, quæ operantis Felicitatem non promovent, ut patet in Deo.

317. Objicitur 2. Christus est perfectissimus amicus Dei, & quidem necessariò: atqui ad perfectissimam amicitiam spectat, eadem velle & eadem nolle in omnibus: ergo Christus necessariò eadem vult magis, quàm Deus magis vult. Respondet P. Esparza, minorem esse veram, loquendo de amico Hominis, non item de Amico Dei. Disparitatem assignat, quia amicus humanus, utpote habens finitam & limitatam felicitatem & delectationem, adeoque augibilem accessione alicujus Boni desiderati, hoc ipso afficitur dolore aliquo, & molestia, si privetur Bono desiderato, contra suam inclinationem ad felicitatis augmentum: ad rationem autem perfecti amici spectat, non esse causam voluntariam alicujus jussi doloris ac molestiæ amico, contra ejus inclinationem, ad augmentum propriæ felicitatis. at verò felicitas Dei & ejus delectatio, non est capax augmenti ex accessione vilius Boni creati, & consequenter nec capax alicujus molestiæ & doloris, ex carentia talis boni, quia complacentia divina circa actus creatos, non est afficiens, & delectans, ac Beatificativa, sed purè approbativa. Quapropter amicus Dei non tam Deo, quàm sibi providere debet, ac proinde satis erit perfectus amicus, si non ponat peccatum dissolutivum amicitie divinæ, aut inductivum periculi &c.

Huic tamen responsioni non acquiesco. Ex ea enim videtur inferri posse, quod nullo peccato nec levi nec gravi dissolvenda esset amicitia cum Deo, quia nullum peccatum est causativum molestiæ aut doloris in Deo: ergo si ad amicitiam perfectam plus non requiritur, quàm non causare afflictionem, molestiam aut dolorem, cujus Deus incapax est, non video quomodo peccatum obsteret perfectæ amicitie. Sicut ergo sufficit ad dissolvendam amicitiam, ponere voluntariè aliquid graviter displicens Deo, seu graviter impeditivum finis à Deo intenti, ita ad minus perfectum exercitium amicitie, sufficit ponere voluntariè id, quod minus placet, sive sit afflictivum sive non.

318. Respondeo ergo aliter distinguendo majorem. Christus est necessariò perfectissimus amicus Dei, hoc est, habet perfectissimam amicitiam quæ datur in actu primo, concedo: quæ datur in actu secundo, nego majorem, & distinguo minorem: ad perfectissimam amicitiam in actu secundo spectat eadem velle & nolle &c. concedo minorem: in actu primo, nego minorem & consequentiam. Itaque ad perfectissimam amicitiam in actu primo solum spectat physica necessitas non displicendi Deo, sed placendi Summè, non autem, placendi Summè.

S s s

Habuit

Habuit quidem Christus defacto amicitiam perfectissimam etiam in actu secundo, sed non ex physica necessitate, sed ex physica libertate.

319. Obijcitur 3. Christus habuit necessitatem moriendi pro genere humano: ergo vel habuit obligationem in conscientia, vel necessitatem physicam seu metaphysicam: prius non admittimus: ergo posterius dicendum est. Major probatur. Quia Christus tenebatur lege naturali mori pro genere humano: nam lex naturalis obligat ad subeundam mortem pro proximo, constituto in extrema necessitate spiritali: atqui genus humanum erat in tali necessitate constitutum, utpote obnoxium aeternae damnationi, & nemo poterat subvenire nisi Christus moriendo. R. Christum neutram ex dictis necessitatibus habuisse, ob rationes allatas: ad probationem distinguo. Lex Naturalis obligat ad sic subveniendum, obligat, inquam, illos, quibus antecederet ad omnem casum eventualem, optabile est sic obligari (ut lib. 2. explicatum est) concedo, secus, nego. Alijs hominibus, qui etiam capaces sunt infortuniorum & periculi pereundi, optabile est, habere cum alijs hominibus hanc reciprocam obligationem, quia æquè probabile est mihi eam, quam alteri profuturam. Christus verò erat extra hæc pericula constitutus, & jam Beatus. Accedit quòd mors Christi hoc ipso non fuisset utilis ad succurrendum generi humano, si physicà necessitate subeunda fuisset. ergo non expediebat hanc necessitatem fuisse in Christo. antecedens patet, quia talis mors non fuisset meritoria.

320. Denique etiam ex alio capite non habet locum in Christo illa Theologorum Regula, obligans hominem ad moriendum pro salute alterius. Nam independentem à morte alterius hominis, quilibet homo jam est à Deo, saltem remotè, per gratiam vel intrinsecam vel extrinsecam, elevatus ad finem supernaturalem, & habet præparata media sibi applicabilia, non item independentem à meritis Christi. Rectè autem advertit P. Esparza, quòd Lex Naturalis non obliget ad procurandum proximo ea bona, quorum participatio sub nulla ratione illi debetur, aut ad avertenda ea mala, quorum inflicto illi debetur. Homini autem puro secundum se non debentur dona supernaturalia, quæ videlicet sunt supra omnem ejus dignitatem & proprietatem, e contra homini peccatori secundum se debetur insuper privatio eorundem bonorum, & afflictio mali contrarij. Hinc autem inferitur, quòd Christus absolutè non tenebatur mori pro homine peccatore, quia independentem à Meritis Christi non dabatur elevatio ad statum supernaturalem, neque exstabant media emergendi ex statu peccati, ut modò fit per Sacramenta: quod est fundamentum vnde nascitur obligatio Charitatis erga proximum, ponendi vitam pro felicitate supernaturali alterius, si aliter obtineri non possit.

CONTROVERSIA III.

Vtrum Libertas Christi fuerit subiecta Fomiti peccati.

PRamittendum est, quid nomine Fomitis peccati intelligatur, quæ licet sit questio de nomine, loquendum tamen in ea est conformiter doctrinæ Patrum & Conciliorum. Dicendum voluit, Fomitem peccati aliud non esse, quam ipsam substantiam appetitus sensitivi. Reprobatur tamen ab alijs meritis. Primum quia hoc ratione asserendum esset, non solum fuisse in Christo fomitem (quod omnino negandum est) sed etiam fuisse in Adamo adhuc constituto in statu Innocentiæ: dicendum itidem esset, quod Fomes in nobis non sit effectus peccati Originalis, sicut nec sunt aliæ potentie: dicendum denique esset, quòd fomes non posset in homine extingui, cujus oppositum patet in B. Virginis: & ideo dicitur à Theologis, quòd in Beata maneat Fomes ad Agonem, certamen & Victoriæ, alioquin non mansurus.

Secunda opinio aliorum fuit, fomitem adde- dere potentie qualitatem aliquam morbidam, remanentem ex peccato originali. Sed hæc qualitas rejecimus lib. 2. & expoditur communi- quia hæc qualitas non esset connaturaliter contraria ab anima, ut fatetur ejus asserens, ergo non esset etiam effectus peccati originalis, & non daretur: nam ut docetur in Materia de Gloria, peccatum originale non inducit humani effectus, nisi illos, quorum carentia fuit singulare donum statûs innocentie.

321. Tertia igitur, & vera Sententia est, Fomitem in actu primo aliud non esse, quam appetitum expeditum & proximè instructum concursu causæ primæ, ad illos Motus inordinatos eliciendos, quibus prævenit Rationem Superiorem, illique resistit, & bellum movet, inclinando ad objecta illicita. Superaddit ergo ipsa potentie appetitivæ carentiam illius rectitudinis, & Ordinis ac Subjectionis ad Superiorem rationem, quæ gaudebat homo in statu Innocentiæ. Hinc autem

Fomes dicitur aliquando ligatus, aliquando penitus extinctus. Ligatus tunc esse dicitur, quando Deus per extrinsecam providentiam removeret objecta, quæ si applicarentur, excitarent hujusmodi motus. Extinctus esse dicitur, quando etiam præsentibus objectis & occasionibus non permittitur exire in motus prævenientes rationem, illique contrarios, sed tantum in illos, quos recta ratio consentit. Vtrum autem hoc proveniat ab aliqua qualitate supernaturali, erigente talem gubernationem, vel habeatur tantum per Decretum extrinsecum, est incertum, de quo non est necesse hic tricare.

322. Dicendum nunc est, in Christo non fuisse Fomitè, nec in actu primo nec in secundo. Ita Theologi